

PRAEFATIO

Quīntus: “Nārrā nōbīs aliquam fābulam, Syra; nam tam bene sīve Graecās sīve Rōmānās fābulās nārrāre solēs, quae nōs multum dēlectant! Nēque in hortō lūdere possumus, quia, subitā tempestāte ortā, etiam nunc pluere nōn dēsinit. Nē avēs quidem audiuntur, quae, imbre et fulguribus territae, inter arborum folia et rāmōs sē occultant.

pluere = imber fieri; pluit = imber dē caelō cadit

Syra, quae bona et proba ancilla est: “Libenter” inquit “vōbīs fābulās nārrābō: tū vērō, Marce, cōnsīde iūxtā mē et silēns audī; tū, Iūlia, relinque pilam, et hūc venī, ad latus meum laevum. Sī bonī et probī eritis, neque silentium clāmōribus vel tumultū et strepitū rumpētis, multās et pulchrās fābulās nōn solum hodiē, sed etiam cotīdiē ā mē audiētis.”

libenter *adv* = magnō cum gaudiō

Hōc librō fābulae continentur, quās Syra līberīs Iūliī et Aemiliae nārrāre solet. Iūlia, Marcus et Quīntus valdē hīs fābulīs dēlectantur. Spērāmus igitur vōs quoque, quī eās lectūrī estis, hīs Graecīs Rōmānīsque fābulīs dēlectārī posse. Quae certē ūtilēs erunt: nam quī hās pāginās leget, nōn modo rēs grammaticās et vocābula Latīna, quae in capitulīs XXV-XXXIV librī, cui titulus est FAMILIA ROMANA, iam cognōvit, certius discet ac memōria retinēbit, sed etiam nōn pauca verba alia facile discere poterit.

ūtilis -e = bonus ad ūtendum

memōria -ae *f*

AD CAPITVLVM XXVI

1. Pygmaliōn

Pygmaliōn -ōnis *m*

Pygmalion vir Graecus fuit, quī magnam pecūniam, multōs amīcōs, multōs servōs habēbat. Fēminās vērō, quās superbās esse putābat, nūllās amābat.


superbus -a -um = quī aliōs nūllīus pretiī esse putat

Pygmaliōn arte suā multās rēs mīrābilēs cōnfēcerat, quās
5 plūrimī hominēs valdē admīrābantur. Cotīdiē enim pulcherrima signa ex marmore faciēbat, quae tamen nōn signa, sed hominēs vīvī esse vidēbantur.

ad-mīrārī = mīrārī (rem magnificam)

marmor -oris *n* = māteria, ex quā signa et columnae sunt facta

Saepe Pygmaliōn cīvēs in tabernam suam vocābat, pulcherrima illa signa ostendēns: “Venīte ad spectandum” aiēbat,
10 “virī et fēminae: pulchra haec signa aspiciate: admīrāminī membra, manūs, pedēs, brachia, crūra, colla, ōra, quae artem meam vōbīs dēmōnstrant: nam arte meā nātūram ipsam imitātus sum, quae vīvere meīs in signīs vidētur.”



Virī Graecī et fēminae Graecae ad Pygmaliōnis tabernam
15 accēdentēs cupidissimī erant signa spectandī, quōrum pulchritūdinem omnī modō laudābant: “Ō Pygmaliōn” aiēbant, “quam pulchra haec signa sunt! Nātūram enim nōn solum imitātus es, sed etiam superāvistī!” Omnēs dēlectābantur spectandō illa signa, mīrāabilia exempla novissimae artis.

superāre = vincere

20 Tandem Pygmaliōn fōrmōsissimae puellae signum cōnfēcit, quae aureum capillum, caeruleōs oculōs, rubra labra habēbat. Cuius signī amōre captus, Pygmaliōn miserrimus factus erat et nocte pessimē dormiēbat: dolēbat enim signum, quamquam vēra atque pulcherrima puella esse vidēbātur, nōn
25 vīvere, neque sibi respondēre amōrem suum fatentī.

caeruleus -a -um = caelī serēnī colōre

sibi Pygmaliōnī

Cotīdiē itaque Pygmaliōn, quī cupidus erat eam puellam

sacrificāre = bovem/ovem/porcum occīdere
et deō dare
ōrāre = postulāre aliquid ab aliquō / ā deīs

pōnere posuisse positum

au-ferre abs-tulisse ab-lātum < ab-ferre

diū = per longum tempus | flēre -ēvisse

quae: puella

tergēre -sisse -sum

uxōrem ducere = uxōrem suam facere

Virgīnia -ae *f*

Virgīnius -ī *m*

Claudius -ī *m*

in-vidēre + *dat* = inimīcus esse ob bonum
aliēnum
rapere rapuisse raptum = (impetū factō) ca-
pere et sēcum ferre

raptam ad se dūcī iussit: eam rapere et ad sē
dūcī iussit

imperātum -ī *n* = quod imperātur

ōrāre = (vōce flentī) postulāre aliquid ab
aliquō

currere cucurrisse

prō *pp* + *abl*; prō Virgīniā = in locō Virgīniae

audēre ausum esse (*perf dep*)

vīvam aspiciendī, deōrum templa adīre solēbat ad sacrifi-
candum et deōs deāsque ōrābat: spērābat enim flendō sē de-
ōrum animōs mollīre posse; neque enim quisquam, nisi deus,
illī signō vītam dare poterat.

Ōlim, postquam domum rediit, in cubiculum intrāvit, ubi 30
pulcherrimum illud puellae signum posuerat. Nūllum tamen
signum vīdit! Aliquem igitur illud abstulisse putāvit, atque
cōnsīdēns diū flēvit. Subitō tamen fōrmōsissima fēmina ad
eum accessit, quae aureōs capillōs, caeruleōs oculōs, labra
rubra habēbat; quae Pygmaliōnī ex sellā suā surgentī, “Nōn 35
iam signum” inquit, “sed puella vēra sum.” Pygmaliōn tersit
lacrimās et laetissimus puellam complexus ōsculātus est. Post
brevissimum vērō tempus eam puellam uxōrem dūxit.

2. Virgīnia

Virgīnius vir Rōmānus fuit, quī pulchram fīliam habēbat,
nōmine Virgīniam, quam valdē amābat. Ipse quoque ā 40
filiā suā amābātur.

Ōlim, dum per viās ambulant, vir malus at dīves, nōmine
Claudius, quī magnam pecūniam multōsque servōs habēbat,
eōs vīdit. Claudius, quamquam dīves erat, tamen Virgīniō
invidēbat, quod eum laetum esse atque pulchram fīliam ha- 45
bēre vidēbat. Quā dē causā cōsilium eam rapiendī excōgitā-
vit. Vocāvit igitur servum et “Vidēsne” inquit, “Virgīniam,
pulchram illam virginem?” Cuī servus “Ita, domine,” inquit,
“videō: mihi quoque pulcherrima vidētur esse.” Claudius igi-
tur puellam raptam ad sē dūcī iussit, dīcēns: “Curre, atque 50
puellam raptam ad mē statim dūc!”

Servus imperāta dominī statim fēcit; puella rapta clāmābat
et servum ōrābat, quī tamen eius vōcem audīre nōn vidēbā-
tur. Quamquam multī in viā ambulābant, nēmō ad iuvandum
cucurrit: nam omnēs Claudium timēbant, cuius saevissimum 55
servum bene nōverant: neque quisquam parātus erat ad mo-
riendum prō Virgīniā.

Patrī vērō fīliam raptam esse nūntiāvērunt; quī statim ad
Claudium accēdēns clāmāvit: “Ō Claudī, quid est hoc? Quō-
modo fīliam meam rapere ausus es? Nūllum enim malum tibi 60

fēcī, et filia mea virgō proba est. Redde igitur statim eam, sī vir es bonus.”

65 Claudius autem rīdēns “Ō Virgīnī” inquit, “ipse dīvitissimus sum, tū autem pauper; ego multōs servōs habēō, quī mē dēfendere poterunt, sī necesse erit, tū vērō nūllōs: abī, stulte senex: tē enim contemnō, neque clāmōrēs tuōs cūrō.”

senex senis *m* = vir annōrum plūs quam LX
contemnere = parvī pretiī putāre
superbus -a -um = quī aliōs contemnit

Quibus superbissimīs verbīs audītīs, Virgīnius, gladiō sub palliō occultātō, ad filiā suā accessit, dīcēns Claudiō sē ultimum eam complectī velle: gladium vērō in corpus eius
70 mersit atque interfēcit. Dum igitur puella humī in sanguine suō iacet, “Filia mea” clāmāvit Virgīnius, “numquam ancilla tua erit, quamquam tū multōs servōs habēs, ego nūllōs!”

ultimum *adv* ↔ prīmum

75 Cum prīmum autem Rōmānī Virgīniam mortuā vīdērunt atque tōtam rem, ut facta erat, audīvērunt, Claudium comprehendensum ad mortem mittī iussērunt.

com-prehendere -disse -ēsum < cum + prehendere | comprehensum ad mortem mittī
iussērunt: eum comprehendere et ad mortem mittī iussērunt

3. Eurōpa

Eurōpa -ae *f*

80 Eurōpa bona et pulchra virgō Graeca fuit. Quae, dum cum aliīs puellīs in campō lūdit, currit, pilam iacit flōrēsque carpendō dēlectātur, subitō magnum et album taurum vīdit. Quem cum prīmum cōnspexērunt, amīcae eius perterritae fūgērunt clāmantēs.

85 Taurus autem nōn saevus esse vidēbātur: itaque Eurōpa, quae minimē metuēbat et taurum propius videndī cupida erat, ad eum accēdēns manū suā tetigit. Taurus mūgīvit; Eurōpa vērō herbās ex campō carptās taurō dedit, quī eās edendō laetābātur.

minimē: nūllō modō

tangere tetigisse tāctum | *eum* tetigit
mūgīre -ivisse = ‘mū’ facere
carpere -psisse -ptum
carptās dedit: carpsit et dedit

Deinde Eurōpa, audācior facta, lātum taurī tergum spectābat atque manū suā tangēbat. Tandem in eius tergum ascendēns cōnsīdit et “Ō amīcae, venīte, et mē spectāte!” inquit, “vidēte mē in taurī tergō sedentem!”

90 Statim autem taurus, quī humī iacēbat, surgēns ad maris ōram currere coepit. Eurōpa clāmāvit perterrita; amīcae eius flentēs et lacrimantēs, in lītus ad adiuvandum cucurrērunt, neque vērō Eurōpam, quae taurō vehēbātur, cōnsequī potuerunt: taurus enim, campō relictō, Ōceanum petīvit atque in
95 magnōs maris flūctūs intrāns natābat.

currere cucurrisse

relinquere -līquisse -lictum

Postquam vērō in altum pervēnērunt, “Nōn taurus” inquit, “sed Iuppiter, deōrum hominumque pater sum. Nōlī autem timēre: nōn enim malus sum, neque tibi nocēre volō; nam nōn nocendī causā, sed amōre tuī captus tē rapere cōstituī.”

per-venīre -vēnisse = advenīre

nocēre -uisse + *dat* ↔ iuvāre

nom tū, *gen* tuī | rapere rapuisse raptum
= capere et sēcum ferre
metuere -uisse

dē-pōnere -posuisse -positum; d. timōrem =
dēsinerē timēre
dīvīnus -a -um < deus

uxōrem dūcere = uxōrem suam facere

100 Eurōpa igitur, quae initiō valdē metuerat, timōrem suum dēposuit, neque iam flēbat. Mox vērō ad novam terram pervēnērunt, ubi taurus, puellā dēpositā, ad dīvīnam suam fōrmam rediit. Post breve tempus Eurōpam uxōrem dūxit et eam terram, ad quam simul cum eā pervēnerat, Eurōpam ap-
105 pellāvit.

4. Cornēlia

Cornēlia -ae *f*

Cornēlia bona et proba fēmina Rōmāna fuit, quae duōs habuit filiōs, quōrum alterī Tiberius, alterī Gāius nōmina erant. Fīliōs Cornēlia valdē amābat, atque ab iīs amābātur.

Tiberius -ī *m*

110 Ōlim fēmina Rōmāna, nōmine Tullia, Cornēliam vīsīt, cupida ōrnāmenta sua ostendendī; quae, superbē mōnstrāns gemmās, quās in digitīs et in collō gerēbat, “Multās” inquit “novās et pulchrās gemmās habeo, quae mē valdē dēlectant: spectā! Aspice hōs ānulōs, hās līneās margarītārum, hās gem-
115 mās pretiōsās, quās mihi vir meus magnā pecūniā ēmit. Quam pulchra sunt haec ōrnāmenta! Nōnne tē dēlectant hae gemmae?”

Tullia -ae *f*
vīsere vīsisse vīsum = vīsum īre
superbus -a -um = qui alios nullīus pretiī esse
putat

pretiōsus -a -um = magnī pretiī

Cornēlia vērō quae tam superba verba audiendō nōn laetabātur, gemmās aspiciēns respondit: “Ita est, ō Tullia: mihi
120 enim pulchrae videntur esse gemmae, quās marītus tuus tibi ēmit: certē ille valdē tē amat. Ego quoque tamen pulchrās gemmās habeo.” “Ain’ vērō?” ait Tullia, “Ō mea Cornēlia, ostende mihi pulchrās hās gemmās tuās! Studiōsissima enim sum eās aspiciendī!”

125 Cornēlia igitur surgēns vocat: “O filiī, venīte hūc!” Tiberius et Gāius, mātis vōce audītā, accurrentēs in ātrium in-
trant. Quōs Cornēlia digitō mōnstrāns, “Ecce” inquit, “gemmae meae: filiī enim mei ōrnāmenta mea sunt: nullās aliās gemmās cupiō.”

Tarpēia -ae f

Sabīnī -ōrum m pl
Latium -ī n

strēnuus -a -um = fortis, impiger



armilla -ae f



noctū adv = nocte | ex-īre -iisse

per-venīre -vēnisse = ad-venīre

in-gredī -gressum esse = intrāre

vincere vīcissee victum | praeda -ae f = rēs
quae in bellō ab hostibus capiuntur
in-cendere -cendisse -cēsum = ignī darepretiōsus -a -um = magnī pretiī
au-ferre abs-tulisse ab-lātum (au- < ab-)

praemium = quod datur prō rē bene factā

op-primere -pressisse -pressum < ob + pre-
mere
iacēre -cuisse

5. Tarpēia

130 **Ō**lim Sabīnī, quī in Latiō habitābant, magnō exercitū
Rōmānōs, hostēs suōs, oppugnāvērunt. Quī quidem,
portīs clausīs, urbem suam dēfendere cōnābantur.

Sabīnī vērō, fortissimē pugnantes, urbem paene cēpērunt.

Rōmānī, quī strēnuī militēs erant,

brevēs gladiōs, galeās ex ferrō factās, galea -ae f

longās hastās gerēbant, quibus semper

parātī erant ad pugnandum; at Sabīnī

quoque optima arma habēbant. In brachiō sinistrō vērō, quō
scūta tenēbant, armillās aureās gerere solēbant.



135

140 Tarpēia, quae improba et mala puella Rōmāna fuit, ea
Sabīnōrum ōrnāmenta, quae procul ex Rōmae moeniīs in sōle
lūcentia cōspexerat, habēre cupiēbat: eī enim pulcherrima
esse vidēbantur.

Quoniam igitur cupidissima facta erat illud aurum ha-
bendī, noctū ex urbe exiit, quia Sabīnōrum castra petere vo-
lēbat. Postquam illūc pervēnit, “Ō Sabīnī” inquit, “sī mihi
dabitis ea, quae in brachiīs sinistrīs geritis, statim vōbīs
portās aperiam et viam mōnstrābō, quā in urbem ingredi po-
teritis.”

145

Itaque Sabīnī, quī cupidissimī erant urbem expugnandī,
Tarpēiam secūtī, ad portās urbis pervēnērunt, quās Tarpēia
statim aperuit. Hostēs, in urbem ingressī, impetū in Rōmānōs
factō, brevī eōs vīcērunt atque magnam praedam cēpērunt.

150

Postquam multōs hominēs interfēcerant, domōs incende-
rant, ōrnāmenta, nummōs et aliās rēs pretiōsās abstulerant,
iam fessī pugnandō, et studiōsī in patriam suam revertendī,
Tarpēiam praemium exspectantem apud portās cōspexērunt.
“Ō Tarpēia” dīxērunt, “quamquam mala et improba fēmina
nōbīs vidēris esse, dabimus tamen, ut pollicitī sumus, ea,
quae in brachiīs nostrīs sinistrīs gerimus!” Tarpēia laeta ad
militēs accessit; quī quidem rīdentēs in eam nōn armillās, sed
gravissima sua scūta iēcērunt! Tarpēia, multīs scūtīs oppressa,
ad terram cecidit et mortua ibi iacuit.

155

160